DE APOPLEXIA DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA QUAM AD MEDICINAE...

Bernardo Saviolo



DE APOPLEXIA

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE OBTINENDAM

IN CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBBLICE HABUIT

BERNARDUS SAVIOLO

TARVISINUS EX CESSALTO



PATAVII

TYPIS SEMINARII

1842.





TIBI

NICOLAO · DE · COMITIBVS · IVSTINIANI

EDITO · REGIBVS

PHILANTHROPIA · VIRTVTE · PRAESTANTISSIMA

PRAEDITO

VOBISQVE

ALOYSIO · DE · COMITIBVS · PISANI ·

JOHANNI · BARBADICO

NOBILISSIMIS · VIRIS

QVI


VNA · MEO · OPERAM · NAVASTIS · BONO

TENVE · HOC · OB · TANTAM · BENEFICENTIAM

ANIMI · GRATI · SENSVS

MONVMENTVM

P.





Cum munus sit medicam lauream petentium de aliquo morbo disserere, sine quo nemo in albo Doctorum inscribitur; mihi visum est de apoplexia, non irrito argumento nec frustraneo humano generi, pertractare. Nam nostris maxime temporibus proh dolor! morbus frequentissimus, quem aut illico, aut tardius subsequitur mors, quemque nullis vel saltem paucis et quidem haud validioribus, quamquam a multis plurima recensentur, medicaminibus medicus instructus tollere impar evadit. Quomodo ergo sufficiet animus me in apertum trudere tot luminibus omnium scientiarum ubique locorum late diffusis, tot cognitionibus carentem, et vix e palaestra profectum? Et sine experientia judicio eruditorum, methodum, ordinem et nexum atque idearum novitatem tanti habentium, ineptus exponendus ero? Nisi vos, praestantissimi Professores, auxilio vestro me suffulciatis, detar-

ritus svertam animum. At porro scio vos benigne, ut omnes, me quoque excepturos esse. Qua quidem spe erectus et animatus argumentum, quod mihi proposui, pertractandum aggredior.

Apoplexia ab ἀπὸ et πλήττειν desuper percutere derivatur. Aliis autem nominibus *morbus attonitus, sideratio universalis corporis, aphonia* ab Hippocrate, *epilepsis* ab Heurnio vocatur. Aegri antem *apoplectici, siderati, attoniti* appellantur.

Apoplexia morbus est, in quo motus et sensus tum interni, tum externi exstinctio, omnium actuum laxitate, superstitibusque cordis motu, pulsu et respiratione stertorosa accidit.

Tria igitur adesse necessum est, nempe universi corporis resolutio et voluntariorum motuum abolitio, sensus interni et externi cessatio cum circulationis et respirationis perenuitate.

Ex hisce characteribus pathognomonicis clarius profecto elucet morbum hunc cum aliis confundi non posse. Nam per respirationem stertorosam differt a cataphora, quia cataphoricus, quamquam somnolentis continua afficiatur, non stertit: differt a caro, quoniam a somno etiamsi corripiatur profundo vix excitabili, non stertit: a syncope, ab asphyxia, quia, stertore non superveniente, et respiratio et circulatio in prima

adeo minnuntur, ut vix percipiantur, in secunda intercipiuotur et suspenduntur.

Ratione autem profundissimi somni differre a lethargo et typhomania visum est. Porro apoplecticos dormit somno intenso et profundissimo: lethargicus sopore levi dominatur, et facile excitandus interroganti respondet: apoplexiam cum typhomania confundi nemo inficias ibit, quia in hacce vel soporem levem, vel pervigilium cum delirio observamus.

Prae artuum laxitate distinguitur ab epilepsia, quoniam tum et quando artus magna cum violentia exagitantur.

Symptomata apoplexiae non eodem gradu evolvuntur, juxta quem *gravis* et *levis*, vel *fortis* et *debilis*; juxta actionis sedem *idiopathica* et *sympathica* nuncupator. Dicitur apoplexia sanguinea, traumatica, temulenta, arthritica, exanthematica, pituitosa, epileptica, polyposa juxta causarum actionem.

a) Gravis vel fortis illa habenda apoplexia, in qua respiratio stertorosa et interoisa invenitur, cumque magna pulsus plenitudine et raritate copulatur.

b) Levis vel debilis e contra dicimos eam, in qua istarum functionum normale est exercitium. Hanc speciem κατ' ἀποπληξίαν designare mos est. Quando irritantibus fortioribus ipsoque igne tra-

ctatur, aeger minime excitatur e somno; quando frons frigido sudore perfusa, facies apoplectici turgida lurida, labia diducta ac tumida spumam ubertim effundentia deprehenduntur, tunc de gravi apoplexia haud spernendum judicium nos proferre ratio dictat. E contra si a levi irritatione et artificio admoto solvitur et difflatur, si facies a naturali parum remota deprehenditur, levem affirmandam esse credo.

c) Idiopathica cum cerebrum primario afficitur. Cum vero cerebrum per alterius organis scilicet per cordis, pulmonis, ventriculi, uteri affectionem compatitur, oritur apoplexia.

d) Sympathica.

Sympathia hac ratione explicatur: affectis enim corde et pulmonibus, nequit sanguis e capite redux in cor dexterum immitti: hinc per vasa cerebri omni vi elastica et fulcimentis orbata plus aequo moratus, tantam in visceris tenerrima compage compressionem est facturus, ut inde apoplexiam inferre valeat.

De primarum viarum vero laesione eumdem morbum faciente haud impar est practicorum sensus. Nam sive quod affectis vago et magno intercostali nervo cerebrum vehementer perturbatur, quam perturbationem sequitur vasorum visceris diametri compressio, arctatio; sive quod ab nervis affectis arteriae carotides fortiter con-

stringuntur, semper id unum efficitur, ut sanguis non recto et libero cursu per arctata vasa currens eam in cerebro pariat efficiatque pressionem, quae ad morbum, de quo sermo est, efficiendum requiritur. In spasmodicis uteri, ventriculi intestinorumque affectionibus id posse fieri ratio et experientia suadet. Nisi quod non raro accidere solet, ut e primariarum viarum labe exsurgens in sanguine tanquam mephiticus et venenatus vapor impediatur, quia cerabrum opprimendo narcotica facultate visceris et nervorum munera tollit, apoplexiamque inevitabiliter infert. An hujuscemodi apoplexia sympathica revera dici possit, cujus ortus et productio frequens inter homines occurrit, vobis judicare relinquo.

e) Apoplexia sanguinea est ea, quae a plethorae praesentia, sive a vera per ingestos cibos comesos et suppressas evacuationes, sive a commota per febrim, irae impetum, exercitium immodicum producitur.

f) Traumatica ab ictu capitis, vulnere, contusione, valida commotione, cranii fractura, lapsu ex alto dependet.

g) Temulenta ab ebrietate provenit, et sanguineam mentitur. Qui mero, vel spiritui vini aut cerevisiae uberius indulgent, ad eum gradum ebrii sunt, ut difficulter evigilent, ita gra-

viter stertunt per plures horas, ut nisi per adstantium relatum, vini vomitionem, aut odorem vinosum anhelitus species morbi patet.

h) Pituitosa ea est, quae ab ipso initio stipatur pulsu debili, faciei pallore, calore imminuto, quaequs ut plurimum senes cacochymos, debiles, pituitosos aggreditur.

i) Arthritica, quae arthriticos dolors pedum subito evanescente et accedentibus vertiginis, cephalalgia aggreditur.

k) Exanthematica ea, quae morbis exanthematicis retro pulsis, uti erysipelati, tricomati, scabiei etc. supervenit.

l) Epileptica est ea species, quae initium ducit ab insultu brevissimo epileptico, et quae quadam convulsione ut ut non conspicua stipatur.

m) Polyposa est, quam praecedunt frequens cordis palpitatio, vasorum colli vibratio, pulsus maxime irregularis, vertigo tenebricosa, respiratio difficilis, praesertim ad motum corporis aerisve calorem increscens, quaeqoe a polyposa concretione oriri censetor.

Perplurimae sunt causae, quae concurrunt ad gignendam apoplexiam. Istarum aliae sunt disponentes, aliae vero occasionales. Causam considerare etiam possumus ut *immediatam* et *mediatam*. Mediatae causae supra dictae habendae sunt.

Causa immediata apoplexiae est impeditus ac subsistens motus cerebri et denegata irradiatio spirituum ex pororum, meatuum et tubulorum cerebri sive obstructione, sive compressione.

Inter causas disponantes enumeratur hereditaria dispositio, consistens in nativa cerebri debilitate ejusque pororum et canaliculorum angustia, aetas senilis. Nam *apoplexiae maxime fiunt ab anno quadragesimo ad sexagesimum usque*, ut ait Hippocrates. Complexio pituitosa, corpus vastum, obesum, brevi angustaque cervice praeditum (quod et habitus apoplecticus dici solet) crapulae et somno meridiano deditum. Temperamentum varo apoplexiae concipiandae aptum esse solet cachecticum, atrabiliare, plethoricum, obesum. In quolibet horum semper verum esse solet ex redundantia sive boni sanguinis, sive pituitae, atrabilis, pinguedinis talem fieri in cerebri vasis indicatorum humorum congestionem, ut modo sanguinea, pituitosa etc. fiat apoplexia. Quilibet enim in corpore redundans humor, dum ad cerebrum majori quantitate conducitur, dabat semper in vasis mollibus minime elasticis, atque per thecam osseam, qua ambiuntur, fulcimentis orbatis, prae ceteris partibus majori quantitate colligi; ex quo apoplexia. Id ipsum efficitur pariter sub habitu sic dicto apoplectico. Nam per caput magnum et collum

breve nonnisi ad apoplexiam homo disponitur. In hoc enim corporis statu et majori quantitate et magno impetu sanguis ad cerebrum fertur. Quo enim cerebrum minus a corde distat, eo majori impetu ascendentes per vasa carotidea sanguinis undas recipit. Ita tendi visceris vasa et nimis distendi et rumpi quoque possunt; ex quo incurabiles apoplexias fieri patet.

Sed et vivendi ratio concipiendo morbo admodum conducit. Nam opipare viventes, cibisque crassis, pinguedinosis fumoque induratis carnibus, ac vino et spirituosis liquoribus indulgentes, nec non vitam desidem et otiosam traducentes morbum concipere possunt. Hac enim ratione viscidus et tenax sanguis perque cerebrum circulationi obeundae impar concipitur. Et deficiente corporis motu sanguis suis haud defaecatur excrementis, corpusque semper tenacibus impurisque humoribus scatet, a quibus in cerebro fieri posse graves compressiones apoplexiam parituras procul dubio conjectare possumus. Et si vitae desidi addatur longa et profunda perseverа studia meditatio, tum debilitatis cerebri vasis, factaque in viscere magna humorum congestione, incipit turgescere corpus, caput vertiginosum esse, demum apoplexiam oriri. En miserum literatorum fatum, quod eos, qui libris pallescunt, manere solet!...

Occasionales causae sunt: Plethora, pituita viscida, lenta basim nervorum sive comprimendo sive obstruendo, melancholia influxum bebet cerebri massam laedendo et vaporibus comprimendo, unde aphorismus ille: *Morbis melancholicis per haec tempora suspecti humorum decubitus vel apoplexiam corporis, vel convulsionem, vel maniam, vel caecitatem denunciant.* Circulatio sanguinis impedita, et quidem minus in affluxu per arterias carotides et vertebrales ab humoribus acidis et coagulativis; saepius impedito refluxu, dum a venis non debite resorbetur, sed vel in vasculis meningum, vel sinubus cerebri, aut vasis jugularibus stagnat, turgescit, et non raro in cerebri substantiam lethali regurgitatione effunditur. Fit autem stagnatio vel vitio sanguinis, vel nimia copiosi muci pituitosi, grumosi et coagulati, vel vasorum, dum ex contusione, laceratione, vel ruptione naturalis sanguinis circulus impeditur. Vapores narcotici, sive extrinsecus oriundi ab abusu opiatorum, spiritus vini, gasi carbonum, aut liquorum fermentescentium, sive intrinsecus a veneno quodam narcotico. Tempus hiemale juxta Hippocratem: *Hieme autem pleuritides... et capitis vertigines et apoplexiae.* Assidui imbres, pariter ait immortalis Senex: *Morbi per assidaos imbres magna ex parte fiunt febres longae, alvi dejectiones,*

putredines, epilepsiae, apoplexiae et anginae... Aer aquilonaris, crapula, venus nimia in senibus, evacuationes consuetae suppressae, scabies retro pulsa, vehemens ira, elucubrationes, exhalationes calcis, carbonum, cerevisiae, musti recentis, compressiones, vulnera, percussiones. Hinc Hippocrates: *Quibus occasione aliqua cerebrum vehementer concussum fuerit, mutos fieri protinus est necesse.*

Ex symptomatibus in definitione jam recensitis desumitur apoplexiae praesentia. Nempe aeger velut dormiens jacens, sine sensibus et motibus voluntariis, somnus illi est profundus ore hiante et saepius stertente, acclamationibus non respondet, nec irritationibus titillationis movetur. Maxilla inferior collapsa, spuma ad os stillans continuo, pulsus naturalis subinde durus et inaequalis, color faciei et oculorum plerumque ruber, facies tumida, corpus calidum, membra lassa resoluta, et manibus apprehensa si distrahantur, postea vero relicta illico decidunt; uti etiam subinde sphincter ani ad faecum exitum. Cum omnia ista adsint, esse apoplexiam nemo dubitat.

Ex cognitione causarum in aegrum agentium, ex corporis habitu et visu clarius percipimus apoplexiae ideam, et amissionem sensuum ac motuum voluntariorum ita explicamus. Cum vero cerebrum per quamcumque causarum enu-

meretarum ita afficiatur; ut nequeat amplius voluntatis imperium recipere, qeia voluntas in cerebrum egit, atque in musculos immittere, neque e sensuum organis venientes mutationes recipere, jam patet et voluntarium motum et sensationem in epoplexie iuterire. Per enetam itaque in cerebro vehementem compressionem nervorum tubuli clauduntur, spiritusque ed motum voluntarium faciendum descendere nequeunt; hinc cessat motus voluntarius. Neque sensatio exerceri ullo modo potest. Impar enim cerebrum factum accipiendie e sensuum organis venientibus motionibus, non pótest pro sensuum exercitio ab enime edvertentiam expetere. Interim motus cordis et respiratio perennet in epoplexie. Verum qui fit? Nullum dubium esse potest, existente epoplectico insultu, eliquam fluidi nervei quentitatem in musculos descendere. Quae quidem spirituum quentitas voluntariis motibus dicatos musculos invedeus, eosdem deta irritabilitate donetos ed contractionem compellere nequit. Musculi vero intercostales et cor, quie summe irritabilitate donentur, e parve illa fluidi nervei quantitate possunt ed contrectionem compelli, qua fit, ut in apoplexia, reliquis otiantibus functionibus, respiratio et cordis motus perennet.

Si vero tam velida in epoplexia sit cerebri compressio, ut ed vitales has partes etiam fluidum

nerveum deficiat, tunc post magnam respirationis apparentem laesionem et multam enatam in pulsu raritatem apoplecticus intereat oportet.

Sciscitanti quare aetas senescens pronior ad apoplexiam evadat, brevi respondebimus. Hac enim aetate humores lenti et viscidi esse solent, ideoque per vasa cerebri morae stagnationique aptiores fiunt. Aut hac aetate vanenum apoplecticum, quod diu silere debuit, actuosum redditur, tumque apoplexiam arcessit.

Ad prognosim quod spectat, scimus Hippocratem eam paucis absolvisse. Nam ait: *Fortem apoplexiam solvere impossibile, levem vero non facile*. Quo enim respiratio stertorosa, quo pulsus magnus et rarus, quo a somno minime adhibitis stimulis expergiscitur aeger, quo frigidus et viscidus sudor cutem madefacit, eo morti propinquior fit. Et si difflato paroxysmo cum magna functionum animae laesione, cumque gravi aliquarum partium homo surgit, tunc lethalis expectanda apoplexiae recidiva. Boerhaave ex tremore, vacillatione, vertigine, scotomia, stupore, sopore, vacillante memoria, aurium tinnitu, faciei inflatione, respiratione solito profundiore et incubo saepius recurrente apoplexiae recidivam timebat. Malam cerebri affectionem perque caput lentum viscidumque humorem aegre nimis circuitum absolventem, nec non summam ipsius en-

cephali et nervorum imbecillitatem, haec omnia adesse significant. His contrariis adparentibus possunt baud malum omen de apoplectici vitæ medici concipere. Medici autem, suffragante Hippocratis sententia: *Si quis ebrius ex improviso mutus fit, convulsus moritur, nisi eum febris corripuerit....*, fatentur febrem apoplexiae supervenientem bonam esse. Sed id generaliter concedi non potest; nam dantur casus, in quibus a febri orta pejora mala apoplecticos manent. Quis enim inficiari audebit sanguineam apoplexiam ex aucto sanguinis motu auctaque quantitate ejus ad caput factam per ortam febrim in pejus ruere? Etenim per febrim semper ad cerebrum majorem sanguinis quantitatem deferri discimus experientia omnes. Haec mea opinio cum illa Tissoti convenit, dum ait: « La fievre n'est bonne » que quand la pléthore est enlevée, et que les » vaisseaux sont delivrés des fluides qui les surchargeoient. La fievre survenant alors peut » sans doute détruire quelque engorgement s'il » en reste. Mais tant que les vaisseaux sont trop » pleins il serait meurtrier d'ajouter la fievre au » mouvement du sang. Ce n'est donc que après » avoir détruit la cause de l'apoplexie que la fievre a peut-être pû produire de bons effets, mais » jamais auparavant, elle lui est au contraire » très-opposée. La fievre que se joint à l'apople-

« xie causée par épuisement abbat encore plus » les forces.

Praedicimus autem omine infelici apoplexia tangi quemquam dum adest sopor frequens, corpus iners, oculorum spontanea illacrimatio, memoria debilis, vertigo et incubus frequens, muci et salivae abundantia, ac in somno effluxus.

Effectus autem apoplexiae ad istos rediguntur, nempe vel aeger moritur, et tunc conclamatum est; si minus paralysi et memoriae jactura corripitur, et in recidivam incidit, uti paulo superius. Quicumque ab apoplectico insultu surgit, cum tanta cerebri et nervorum laesione vivit, ut virilis et senex homo, tanquam infans factus, caput in gyrum agit apertis oculis, omnium oblitus omnia nova ipsi videntur, et in ditione apathiae est; minimum verbum proferre nequit, et ad solum amici ac familiaris de suo statu quaerentis adspectum statim lacrimes effundit. Lingua porro articulandis vocibus ita impar est, ut aliquando homo tanquam in infantia constitutus vix ac ne vix quidem verbum reddere valeat. Hujusmodi cerebri et nervorum imbecillitatem minor spirituum in nervos influxus constituere potest. Tantas enim pressiones cerebrum recipiens, naturalem spirituum quantitatem pro naturali motuum sensuumque exercitio in nervos immittere potest, et nervi in suo initio pres-

sionem recipientes debito spirituum influxu impleri nequeunt. Neque mirum, si soluta apoplexia, dum reliquae partes paralysi affectae paulatim ad pristinum redigantur sensus et motus exercitium, sola interim vocis articulatio hebes perseverat. Nam juxta Van Swieten ad loquelam tantarum partium concursus opus est, ut admodum difficilis sit, si apoplexia semel resolvantur, earum restitutio ad pristinum statum.

In therapia autem habemus indicationes sequentes: In paroxysmo aegri excitatio quaerenda; extra vero reditus insultus praecavendus est.

Ad primam indicationem adimplendam contribuit valde phletobotomia in primis ex venis brachii, aut ex jugulari magna quantitate. Si aeger levamen capiat, repetenda est. Verum si ipse ad priora animae et corporis munera non redit, necessario illi moriendum. In pituitosa V. S. non conveniunt. Ceterum cucurbitulae scapulis, cervici ipsique occipiti scarificatae pluries admovendae, ut et facto exterius irritamento, humores ab intus extra ducantur, et concussis viciniis vasis agitatio in ipsum cerebrum pervenire valeat, qua moveri stagnantes humores possunt, et ita apoplexia solvi. Huic indicationi efficacius famulari debent epispastica cruribus, brachiis ac cervici adhibita, nec non sinapismata aut stationes plantis pedum et ipsi occipiti admotae, hiru-

dines pone aures apponendae. Prope foramen occipitis magnum ferrum ignitum adplicitum ad combustionem excitandam non parum emolumenti etiam attulit. Clysteres aqua sale anglicano infecta parati saepius injiciendi sunt. Naribus fortia errhina ex spiritu salis ammoniaci, tiutura succini, aceto acerrimo atque pulvere hellebori et nicotianae applicanda, ut sternutatio cieatur. Addam quod excitatio aegri per pilorum vellicationes, narium apprehensiones, acclamationes, digitorum complicationes, frictiones pedum procuranda est. Ligatura quoque adhiberi potest ad effluxum sanguinis in apoplexia sanguines impediendum ad cerebrum. Hoc enim suadet D. Tissotus dicens: « Se fait faire avec succés » des ligatures sur les genoux; comme elles compriment plus les vaines que les artères, on arrête en partie le sang des parties inferieures; » c'est tout autant d'enlevé au reste du corps, il revient moins par consequent vers la tête. »

Soluta apoplexia accidentia morbosa gravia si succedentia abjicienda sunt, ne cum inevitabili aegrotantis morte redeat morbus. In primis emeticum est propinandum, idque repetendum, potissimum si e primarum viarum labe morbus fomitem susceperit. Minime verum est ex propinato emetico aliquid detrimenti caput apoplectici suscipere, ut alii volunt. Visum est enim

frequenter propinatum emeticum ex ipecacuanha cum addito grano semis tartari emetici parato nil mali aegroto accidisse. Alvus semper lubrica servetur per purgantia ex rheo, manna, decoctione sennae, sale anglicano, massa pilulari de succino cratonis et extracto catholico, conserva rosarum solutivarum parata. Rheum cum pulvere jalappae, aut mercurio dulci conjunctum adhibitum fuit. Clysteres frequenter injiciendi sunt fortiter subducentes. A parvo antem levique cibo alimentum quotidianum sumendum. Aut vesicatoria, aut fonticuli, aut setacea aperta semper servanda, et frequentibus per totum corpus frictionibus potissimum ad plantas pedum adhibitis utendum est. Ad roborandas vero cerebri debilitatas fibras solent praescribi cinnabrum, sal succini, ambra grisca, castoreum, moschus et valeriana. Diuretica et diaphoretica adhibenda sunt; a Balneis quoque non abhorreat medicus.

Praeter has regulae servandae, ne insultus apoplecticus redeat, hae sunt: diaeta conveniens, in qua aër calidus, purus, non autem nebulosus, aut pluviosus frigidus: cibus calidus, paucus, coctu facilis, conditus mitioribus aromatibus. Vitetur caena, vinum meracum; frictiones instituendae per totum corpus; somnus sit mediocris nec meridianus; alvus laxa; exulent venus,

ira, tristitia. Singulis solstitiis, si sanguis abundet, instituatur V. S.; quo spectat apertio haemorrhoidum. Quolibet mense purgandum per pilulas de succino cratonis. Diaeta sudorifera prodesse potest; laudatur et usus herbae theeanaturaliter somnum fugantis; uti supra diximus, fonticuli in brachio et pede brachio opposito. Setaceum ad nucham, vel fonticulus loco istius. Conveniunt roborantia, ut succinum, castoreum cinnabrum, spiritus salis ammoniaci, semina sinapis, nux muscata frequenter masticata; ex quibus effectum obtinebimus.

THESES DEFENDENDAE

I.

Phlebotomia aegrotos aut jugulat, aut sanat.

II.

Eunuchi nec podagra laborant, nec calvi fiunt.

III.

Cum ignorantia, et malitia medici, tum renisu naturae medicatricis deficienta augetur morbus.

IV.

In rheumatismo si dolores improvise disparéant ex una parte, malum; nam in altera oritur metastasis.

V.

Cataplasmata amollientia rheumatismus non fert.

VI.

Tinctura colchici in arthrorheumate validum remedium.

VII.

Hirudines ad articulationem dolentem et tumentem adplicitae aliquando rigiditatem artus gignunt.

VIII.

Pars jam quodam morbo vexata dispositionem pro eodem tenet; ita, si inflammationem perpessa, obnoxia inflammationi.

IX.

Quamquam plurimae partes et distantes adficiantur inflammatione, idem principium recognoscendum per continuitatis consensum agens.

X.

In febri gastrico-biliosa evacuatio statim bilis fovenda, et sanatio secura.

XI.

In individuo Baccho dedito, et temperamento sanguineo-bilioso donato, functio hepatis validior evadit.

XII.

Febres intermittentes in regionibus paludosis et udis adoriri hominem solent, praecipue vero constitutioni venosae subjectum.

XIII.

Haud raro fit ut hac cum hepate-lien-emphraxi jungantur. Haec amicitia malorum fere perniciosa in tali individuo; nam timendum ne in hydropem desinat.

XIV.

In intermittentibus cum aliqua emphraxi, optimum, ut sulphas chininae in solutione cum acido sulphurico diluto corrigatur, experientia docet.